



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

5. Melioratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

tio, percussio, &c. Itē licitum est applicare eas, licet æquè ordinentur ad matris salutem, ac ad fœtū nocendum, eiusque abortum. Idem, quando medicina est omninò dubia; quando salus infirmi omninò desperata est, & in nostro casu matris ac fœtus, perituri que sint, ac nullum appareat aliud auxilium. Et quòd dictum est de medico, dicendū de muliere prægnante sumente tales medicinas, quamvis illicite poterit ob prolis bonum abstinere à talibus medicinis, quò abortum vitet, bonoque prolis consulat. In vnico tamen casu peccarent lethaliter contra charitatem, & prægnans eas medicinas assumens, & medicus, ac obstetrix eas applicantes, nimirum, vbi spes probabilissima à peritis medicis conciperetur, fore vt matre ab ijs medicamentis abstinente, cum tamen vitæ propriæ periculo, fœtus in lucem prodiret, vt baptizari possit. Ea autē assumente periret fœtus Baptismate minimè recepto, l. 3. disp. 20. à nu. 13. vsque ad finem.

*Melioratio.*

1 Melioratio facta filio absq; aliqua causa, vel causa matrimonij incerti, potest reuocari. Secus, si facta sit cum tertio ex ea commodum reportanti. Nec potest reuocari, si filius melioratus causa matrimonij incerti inear pactū de matrimonio, & pater asserat, illum esse melioratum, vt fœmina ei nubat, vel ampliorem dorem constituat, sit irreuocabilis, licet filius retractat. Nec potest filius consentire, vt



noua conditio apponatur, nec remittere promissionem de non meliorando factam, ut certum matrimonium inear. Nec profunt Antapochæ, vulgò (cōtrascripturæ) quibus filij pollicentur, se melioratione non vsuros. Idem dicendum de promissione alicuius donationis faciendæ ab alio ratione huius matrimonij, prædicta tamen remissio valebit in remittentis præiudicium, *lib. 6. tota disp. 32.*

2 Recipiens fictè patrimonium, vt ad ordines promoueat, data antapocha, aut fidei reddendi, cum promotus fuerit, tenetur id patrimonium restituere, *lib. 6. disputat. 32. num. 8.*

3 Melioratio causa dotis, valet in Castella in foro conscientiarum, nec restituenda est, *lib. 6. disp. 33. nu. 3.*

#### Mensis.

1 Quando lex, vel statutum concedens mensem, disponit, à quo tempore mensis incipiat, vt à die electionis, vel à die per iudicem designanda, accipitur mensis secundum quod occurrit in Calendario, & quod ex illo mense defuit, accipitur de sequenti de momento ad momentum. Et si dies bisextus contingat in eo mense, illi duo dies pro vno computantur in favorabilibus; secus in odiosis. Quando verò ius, vel dispositio non exprimit à quo tempore mensis incipiat, tunc computatis omnibus anni diebus, accipienda est duodecima anni pars pro quolibet mense. Vnde bimestre

con-